



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Vviberto Presbytero.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

dro fuit in iudicio presentatum, & ipse tulit sententiam contra illud, ipsum intelligitur reprobasse. Si verò non fuit exhibitum coram eo, prætextu privilegij de novo reperti prædicta non debet sententia retractari. Datum Viterbij XVII. Kal. Iulij, anno decimo.

In Chartulario Ecclesie Meldensis extat præterea epistola Innocentij ad Episcopum, Decanum, & Cancellarium Parisiensem. pro executione superioris sententiae, verbum è verbo descripta ex ea quae data est ad Episcopum Meldensem, mutatis mutandis. In fine vero istius hæc adduntur. Quocirca discretioni vestra per apostolica scripta mandamus quatinus quod à nobis est sententialiter diffinitum faciatis appellatione remota inviolabiliter observari, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, tu ea, frater Episcopo, cum eorum altero nihilominus exequaris. Datum ut in alia. Ista verò commissio extat ex parte in cap. Suborta. De sentent. & re iudic.

PRIORI ET CONVENTUI MONASTERII sancti Salvatoris & sanctae Rotrudis, quod in Torvarensi est parochia constitutum.

*Epist. 97.
De electione
Prioris.*

Cum per privilegium felicis recordationis Alexandri Papae prædecessoris nostri, quod nobis presentatum inspeximus, vestro monasterio sit concessum ut obeunte ipsius Abbate, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu vel eorum pars consilij sanioris secundum Deum & beati Benedicti regulam duxerint eligendum, auctoritate presentium districtius inhibemus ne quis super eadem concessione temerè vos impetere vel molestare præsumat, sed liceat vobis & successoribus vestris secundum ipsam nunc & amodo, cum Ecclesiam vestram Abbate vacare contigerit, personam idoneam de gremio vestro vel aliunde per regularem electionem vobis præficere in pastorem, Karrofiensi monasterio humiliter presentandum, ut ab ipso confirmationem accipiat, & reverentiam ei, quam debet, impendat. Nulli ergo &c. nostrae inhibitionis & concessionis &c. Si quis autem &c. Datum Viterbij V. Non. Iulij, anno decimo.



VVIBERTO PRESBYTERO.

Iustis petentium &c. usque complere. *Epist. 88.*
Cum igitur dilectus filius noster B. Tituli sanctae Susannae Presbyter Cardinalis, apostolicae sedis Legatus, te in Ecclesia sanctae Sophiae Canonicum instituerit, nos tuis precibus inclinati, institutionem ipsam, sicut canonicè facta est, ratam habentes, & auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo &c. nostrae confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum apud Montem Flaconem IV. Kal. Augusti, anno decimo.

E I D E M.

Cum à nobis petitur, &c. usque perducat effectum. Cum igitur dilectus filius noster P. Tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis, apostolicae sedis Legatus, praeposituram Ecclesiae sanctae Anastasiae tibi duxerit concedendam, nos tuis precibus inclinati, concessionem ipsam, sicut canonicè facta est, ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo &c. nostrae confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

*Epist. 88.
Ei confirmatur institutio canonicus & praebendae sanctae Sophiae per Legatum sibi facta.*

*Epist. 99.
Concessio praepositurae sanctae Anastasiae per Legatum sibi facta confirmatur.*

ARCHIEPISCOPO S. R. E. CARDINALI, & . . . Archidiacono Mediolanensi.

Venerabilis frater noster . . . Yporiensis Episcopus suis nobis litteris intimavit quòd cum olim, antequam consecratus fuerit in Yporiensem Episcopum, pennas ad volandum in solitudinem assumpsisset, sacerdos quidam, qui tunc Ecclesiam sancti Michaelis Vercellensis regebat, secum in eremo desiderans habitare, ad eum cum litteris venerabilis fratris nostri . . . Episcopi Vercellensis accessit, obsecrans humiliter & devotè ut eum pro serviente ac famulo ad habitandum secum suscipere dignaretur. Cujus supplicationibus inclinatus, ac inductus precibus memorati Episcopi Vercellensis, ejus in hac parte desiderio satisfecit. Accidit autem ut dum idem Presbyter facere quandam capam disponderet, alij qui in eodem loco fuerant congregati, ei ut cucullam faceret suaserunt, asserentes quòd ad altaris officium esset habilior & expeditior ad scribendum, necnon aptior ad laborem & ad cetera quae ipsum facere oporteret. Quorum suasionibus acquiescens, cucullam fieri sibi permisit: quam cum idem Episcopus vellet secundum consuetudinem

*Epist. 100.
Vt . . . Presbytero ad suam Ecclesiam S. Michaelis Vercellensis licentiam tribuant redeundi.*